TRACTATVLVS
De
ANTIQVORVM SCRIPTORVM CONSIDERATIONIBVS IN ALCHYMIA;

Continens

INTERPRETATIONEM OBSCVRORVM verborum, nominum & locutionum Artis,


Olim à

SAMVELE NORTONO
aliàs Rinuillo Bristollensi inchoatus:

Nunc verò

editus studio, labore & industriâ

EDMVNDI DEANI
ANGLI MED. D. OXON. MEDICI EBORACENSIS EMENDATIOR, auctior & perfectior.




FRAOCOFVRTI,
Typis Gaspari Rötelij, Impensis Guilielmi Fitzeri.
Anno M.D.XXX.



HONORATISSIMO ET EX-
CELLENTISSIMO VIRO,
Domino

RICHARDO WESTONO, BARONI NEYLANDENSI,

INSIGNIS EQVESTRIS ORDINIS Gartherij ſeu Periſcelidis Sodali, Summo Angliæ Theſaurario digniſſimo.



CHRISTOPH. Columbus (Honoratiſſ. Domine) Genoenſis ciuis, Indorum cùm primùm occidentalium amplas & ad miraculum diuites inueſtigaſſet terras (quas Sebaſtianus Gabato Anglus, & ciuis Briſtollenſis nauigatione ſuâ adaperuit) Henricum noſtrum eiuſdem nominis Regem ſeptimum, quâ potuit, adiit diligentiâ: & cùm aduentus ſui cauſas apud potentiſſimum Principem memoraſſet, Regi ad conatum tantum ſubeundum, multis quamuis ſuaſit rationum momentis, non perſuaſit tamen. Vel enim Rex homini diffidens peregrino, aut negotiis priuati occupatus Regni, exteris ſe non vacare oſtendit infæliciter. Quod Henricus noluit iter, ampleĉtuntur Caſtellę Principes. Columbum iam ſuum, tanquàm Deorum munus, accipiunt & venerantur. Cuius cùm fidei commiſſa eſſent & credita itineri tanto, quæ neceſſaria maximè cenſeantur, vento, & mari exponunt virum; cuius arte & induſtriâ breui fit, vt quod Henrico pollicitis, Ferdinando & Iſabellæ ipſis rebus verè præſtitit & compleuit. Hinc Hiſpanorum gens ad id honoris faſtigium eueĉta eſt, quò altiùs Europæa nulla aut poteſt, aut expeĉtat.

Communis licet hic ſit mortalium morbus, virtutem, quam præſentem oderint, negatam proſequi; eſt tamen hæc non minima noſtrâtum virtus, immò gloria maxima, malis mederi potiùs præteritis, quàm præſentibus ingemiſcere infortuniis.

Ecce itaque (*Nobiliſſ. Domine*) Nortonus, Briſtollenſis ciuis alius, nobis eas parat domi, quas foràs Gabato vidit opes, & tantùm vidit: Hiſpani verò perfruuntur. Qui poſt ſeptem Alchymiæ editos eius ac vulgatos à nobis libros, in hoc octauo, & inter Nortonianos vltimo, Honoris tui exoptat patrocinium. Iuſtè hoc (me iudice) necnon dignitati tuæ maximè conſentaneum. Cui enim Theſauros ſuos tantos offerret, niſi tibi tanto Theſaurario, vt meritò apud Amplitudinem tuam maneat æquiſſima libri dedicatio, penes quam iuſtiſſima reſideat rerum totius regni diſtributio; vt cùm Summam & ſenſum obſcurorum verborum, & locutionum Artis tibi damus intueri, artem ipſam, & quæ in ea ſunt vniuerſa, faciliùs erit computare.

Honori & Amplitudini tuæ

Addictiſſimus

Edmundus Deanus.

Vt

VT planiùs intelligantur Philoſophorum verba, obſcura nimis & abſtruſa, imprimis conſiderandum erit de multiplici eorum intellectu, vt ſic Lector apertè ſcire queat, quando vel de vno, vel de altero intelligi volunt. Nam aliter orietur intellectus confuſio & cognitionis obſcuritas. Quæ quidem vt abrogentur, æquum iudicauimus, vtilem hunc de conſiderationibus Tractatulum conſcribere. Primo opere igitur de multiplici Mercurii conſideratione erit dicendum.

Notandum eſt itaque, quòd cùm de Mercurio loquuntur Phi- 1.
loſophi, non eſt iſte Mercurius pro Arg. viuo accipiendus, ſed pro 2.
Mercurio ſublimato. In ſecunda conſideratione accipitur pro aqua 3.
calcinatiua ad ſolutionem omnium corporum. In tertia accipitur pro Mercurio cuiuſq; corporis, id eſt, pro alba corporis tinctura. In quarta accipitur pro Mercurio philoſophorum, & tunc ſolummodò 4.
intelligendus eſt pro ſulphure naturę ſiuè ſui ipſius corporis proprij, ſiuè pro cæteris corporum ſulphuribus.

Mercurii cõſiderationes quatuor.

Sicut reperitur in clangore Buccinæ: Mercurius eſt tinctura ſiuè aqua permanens à corporibus extracta per diſſolutionem, diſtillationem, ſublimationem & ſubtiliationem.

Vnde in Roſario Philoſophorum ſcribitur: Quatuor ſunt Mercurij, crudus, ſublimatus, Mercurius Magneſiæ (qui ſulphuris eſt) & vnctuoſus (qui eſt Mercurius tingens.)

Dicit itaq; Alphidius Philoſophus: Congelate Mercurium cum corpore Magneſiæ. Non intellexerunt Philoſophi Arg. viuum, aut Mercurium, qui videtur, nec Magneſiam, quę vulgò videtur; Sed per Mercurium intellexerunt humiditatem illius mixtionis, quæ eſt humiditas radicalis Lapidis noſtri.

Item de iſto Mercurio loquitur Senior, accipiens Arg. viuum pro Mercurio, quod ſæpè fit & pro eo accipitur: Arg. viuum, inquit, eſt ſpiritus, & dicitur aqua permanens, ſiuè acetum, ſiue menſtruum, ſiuè nutrimentum & multis aliis nominibus.

Mercurii albi ſeu Tincturæ albæ conſideratio.

De tertio, qui ſulphuris eſt, ſic etiam ibi inquit: Ex corporibus reſultat, & eſt albi coloris, antequàm ei ignis aduenerit: igne adueniente, erit rubrum, & hoc à Lapide diuino procedit.

Per reſultationem ex corporibus ſubintelligi voluit, vt ſulphur

de corpore fixo componeretur & de Arg. viuo siuè Mercurio omnium corporum, & sic quod ex eis resultat, est Mercurius Philosophorum in corpus album & siccum conuersus.

Sicut iam anteà considerauimus de Mercurio albo siuè de Tinctura alba; sic nunc considerandum est de Mercurio rubeo siue igne, siue animâ, siue oleo Lapidis. Nam ignis, anima & oleum, vnũ idemq́ue sunt. Est enim Tinctura rubea siue Arg. viui, siue aliorum corporum.

Mercurii rubei siue Tincturæ rubeæ consideratio.

Cùm igitur de oleo Philosophorum agitur, intelligas illud de rubeo sulphuris oleo siue eius liquore esse dictum. Cùm autem de oleo incombustibili, illud solummodò intelligitur de propriis fermẽtorum oleis siue antequam sulphura sint, siue cùm sulphura sint, de eorum oleis aut solutionibus. Potest etiam rectè intelligi de solutione Auri potabilis per proiectionem facti.

Quoniam de Mercurio albo iam locuti sumus, qui aër est & aqua Lapidis, & etiam de oleo, quod eius ignis est & anima, quæ duo sunt eius elementa; ad tertium nunc redeundum est, quod sal siue terra nuncupatur.

Terrę & salis consideratio.

Post separationem itaq; duorum prædictorum elementorum, quod in fundo vasis remanet, terra est siue sal. Si vero in nigredine maneat, tunc terra proprie dicitur; post cuius calcinationem, cùm candida erit, tunc sal extrahitur. Si autem post reliquorum elementorum separationem terra remaneat alba, vt in aliquibus corporibus facile vult, tunc sal est.

Postremo sal pro sulphure accipitur, & sulphur pro sale; aliquãdo etiam pro corpore, sicut ex clangore Buccinæ patet his sequentibus verbis: Nota; Sal omne fixum ponitur pro corpore vel retenaculo: Et tale sal extrahitur à rebus calcinatis, & sal nostrum, quod est tinctura, extrahitur à calce metallorum per putrefactionem.

De tali sale dicit Senior: Primò fit cinis, postea sal, & de illo sale per diuersas operationes Mercurius Philosophorum.

Raymundus etiam dicit: Ars semper indiget calce, id est, terrâ suâ propriâ, in qua maxima virtus naturalis est imposita ad indurandum Mercurium; quia ipsa semper fluit per media & extrema Lapidis; ideo ea nõ obliuiscaris. Postmodùm spiritus & anima debẽt

reddi

reddi corpori,& sic corpus resuscitari, ac spiritus & anima in corpore mori, vt verificetur dictum Philosophi dicentis:

Qui mecum moritur, mecum oritur: post cuius ortum dicitur Terra foliata. Hæ terræ considerationes nunc sufficiant.

Sed quoniam inter prædicta fit coniunctio siue matrimonium, nempe spiritus cum corpore ad album, & postea pars eiusdem corporis rubificati coniuncta cum anima ad rubeum, de coniunctione vel matrimonio consequenter tractabimus.

Coniunctio itaque quadruplex est. Prima de mare & fæmina, 1.
eaque est omnis Mercurii cum suo corpore (quod Terra iamdudum dicebatur) coniunctio, quæ est opus putrefactionem præcedens, ac matrimonium vocatur. Secunda est coniunctio ignis cum terra; quæ
nunquam accidit ante creationem sulphuris. Nam postquã sulphura 2.
in albedinem conuersa fuerint, tunc danda est ei sulphuri Tinctura sua rubea siue anima, & tum fit ternaria coniunctio. Prior erat spiritus & corporis; at posterior ista est spiritus, animæ & corporis, quæ
Lapidis est perfectio. Tertia est cum nouo Mercurio rubeo coniun- 3.
ctio, quæ Cibatio, Contritio, & Inceratio dicitur. Quarta est sul- 4.
phuris (seu Lapidis) cum sui fermenti oleo coniunctio, vt fermentetur Lapis.

Coniunctionis considerationes quatuor.

De hisce autem coniunctionibus in Lib. de Arte Chymica sic habetur: Coniungere ergo debemus corpus & animam; Solem & Lunam; masculum & fœminam; duo spermata (nempe liquorem sulphuris corporalis soluti, & liquorem sulphuris Luminaris) cœlum & terram, & duo (vt ita dicam) Arg. viua; quæ miselli homines de Mercurio crudo dicta intelligentes, sunt hallucinati.

Vel sicut in Scala Philosophorum docetur: Triplex coniunctio fit, ex corpore, spiritu & animâ. Nam secundùm Philosophos sicut anima est vinculũ spiritus, ita & corpus est animæ, eò quòd spiritus penetrat, corpus figit, anima copulat. Prima itaq; cõiunctio est spiritus & corporis; postrema etiã animæ; & ita hæc est ternaria coniunctio.

De prima coniunctione aquæ cum terra audienda est Maria in libro Rosini ad Euthiciam: Congelate, inquit, terram aquâ graui. Hoc autem fit in prima compositione, id est, quando pro sulphure spiritus & terra coniunguntur.

Item

Item de ſecunda, nempe de coniunctione ignis cum ſulphure, ſic dicit: Quæ aqua ſulphuris, eſt aqua viua, quæ omnia liquefacit & congelat. Primo namque omnia decoctione depoſuit, deinde congelat, alieno non ingrediente ei: Et ſcitote, quod hæc aqua continet omnem tincturam ſibi mixtam.

Vnde dicit Ariſtoteles in ſuo Tractatulo: Accipe ergo filium tuum chariſſimum, & ſorori ſuæ albæ æqualiter coniunge Per filium chariſſimum, Argent. viuum, Mercurium, vel ſpiritum Lapidis, per ſuam ſororem, terram albam ſiue corpus intelligit. Dein procedendo, docet tertium operis noſtri gradum eſſe reductionem Lapidis in terram naturalem. Quæ quidem fit per terræ contritionem & aquæ ſuper ipſam incerationem. Pone ergo, inquit, in vaſe ſuo terram ſuam calcinatam, & ſuperfunde aquam rectificatam, vt dictum eſt.

Sed vt cum Philotis Philoſophi dictione has coniunctionis cōſiderationes finiam, ſic dicentis: Omnibus præfatis à quocunq; Magiſtro, nihil aliud ſignificamus vobis, quàm Albar æris; eò quòd tingit omne corpus, quod in compoſitionem introiuit: Cuius compoſitio duplicis eſt complexionis: vna enim eſt humida; altera verò ſicca. Humida eſt Albar æris (quam poſteà vocat plumbum æris) ſicca eſt corpus ſiue terra, de qua poſterius loquitur, ſic dicens: Cùm proindè coquuntur, vnum fiunt, & dicitur bonum plurimorum nominum; eſt, cùm in album decoquitur. Cùm verò rubeum fit, auri flos dicitur, & auri fermentum, aurum coralli, & aurum roſtri. Dicitur etiam redundans rubeum ſulphur, & rubeum auripigmentum.

Putrefactionis conſiderationes.

Finitâ Coniunctione, cuius perfectio in putrefactione conſiſtit, neceſſe iam eſt, vt de ea proximè tractetur, vt expreſſiùs de eius accidentibus conſiderari queat. Nam inutilis eſſet coniunctio, niſi fœtus procrearetur; quia ſine putrefactione fieri nequit.

Vnde de illa re præcipuè ſic declarandum eſt, quæ ſit generationis cauſa, ſicut Bacco Philoſophus teſtatur, ita dicens: Quando naturæ corrumpuntur & putreſcunt, tunc gignunt.

Ponit huius generationis Plato exemplum in ouo, quod putreſcit primo, & tunc gignitur pullus, qui poſt totum corruptũa eſt animal viuens. Vnde idem: Nota; quod ſine corruptione generatio fieri

non

non poteſt: quia Philoſophus ait: Corruptio vnius eſt generatio alterius.

Ariſtoteles rex & philoſophus ſic inquit: Nunquam vidi animatum creſcere ſine putrefactione: niſi autem fiat putridum, in vanum erit opus Alchymicum.

Putrefactio, inquit Pithon, non fit abſque humido & ſicco, id eſt ſine ſpiritu & corpore.

Vnde Saluator: Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, multum adfert fructum; & niſi humiditas vteri eſſet coniuncta, & calor continuus, ſperma non maneret, nec fœtum procrearet.

Secunda putrefactionis conſideratio eſt de calore & ignis gradu: qui calore extrinſecè adminiſtratus, erit putredinis couca. Nam calor agens in humido, putrefactionē generat, qui eſt balnei calor; & iſtius caloris gradus primus aſſimilatur calori Solis labentis in Tauro. Secundus gradus ſufficit deſiccationi, & iſte aſſimilatur calori Solis diſcurrentis in Geminis. Lapide deſiccato & incinerato, tertius gradus incipit à deſiccatione, & durat vſq; ad perfectionem Lapidis, & aſſimilatur calori Solis in Leone. Hæc enim eſt ſuæ dignitatis domus. 2. Gradus caloris in putrefactione tres. 1. 2. 3.

Non ſolum de caloribns conſiderandum eſt, ſed & de coloribus ſimul. Tres ſunt itaque, vt inquit Auicenna, principales colores: Niger, Albus & Rubens. Colores veri in putrefactione tres.

Niger apparere incipit primus poſt conceptionem, & poſtquam vas cum materia ſteterit in balneo 40. dies in primo ignis gradu. Albus apparet ſecundo ignis gradu, dùm materia ſit deſiccata. Rubeus apparet, cùm materia eſt perfecta in tertio ignis gradu. 1. 2. 3.

Conſiderandum eſt etiam de aliis accidentalibus coloribus, qui inter primum & medium colorem accidunt, & eorum quoque, qui inter medium & extremum. Inter nigredinem (quæ caput Coruí dicitur, & initium eſt putrefactionis, ac primum putredinis ſignū) & ante albedinem varii colores apparent. Citrineſcit enim, & rubeſcit, non rubedine verâ. Colores in putrefactione falſi & accidentales.

De quo quidā Philoſophus ſic dicit: ſæpiùs rubeſcit, ſæpius citrine-

trinefcit, & fæpiùs liquefcit, & fæpius etiam coagulatur ante veram albedinem.

Vnde alius dicit: feipfum diffoluit, feipfum coagulat, feipfum rubore decorat. Ante albedinem etiam fit viridis. Apparet etiam ante albedinem color pauonis feu cauda.

Vnde quidam alius fic ait: Scias, quòd omnes colores mundi, qui excogitari poffunt, apparent ante albedinem, & deinde albedo fequitur vera.

Alius autem quidam ait: Tamdiu decoquatur, donec purus appareat, veluti oculi pifcium elucefcunt, & tunc fcias, quod Lapis nofter in rectitudine eft coagulatus.

Inter medium iftum albedinis & vltimum rubedinis verum colorem accidit citrinum grizei coloris; de quo fic dicitur: Calore ignis augmentato, peruenitur ad citrinum.

Et alius: Cinerem ne vilipendas, quia Deus reddet ei liquefactionem, & tunc vltimo Rex diademate rubeo, diuino nutu, coronatur.

Peracto iam putrefactionis modo, notandum adhuc eft, quod putrefactio, coitus, conceptio, imprægnatio, ortus & viuificatio funt eadem, & in vnico tempore fiunt per digeftionem, decoctionem & coagulationem. Hæc igitur pro vero putrefactionis intellectu fufficiant.

Sed quia fulphur omne aptum & idoneum ad opus noftrum per putrefactionem generatur, vt paululum de eo confideremus, neceffarium eft.

Sulphuris confiderationes.

In primis itaque fciendum eft, quod fulphur noftrum non eft fulphur vulgi, fed fulphur compofitum ex fpiritu & corpore metallorum proprie imperfectorum. Sulphur autem Luminum eft duplex; primum, quod putrefactione efficitur poft eorum folutionem: alterum, cùm Lumina reducuntur in olea fimplicia per aquam Mercurii fimplicem, vel cum corrofiua compofitam.

Ifta autem duo fulphura tàm perfectorum, quàm imperfectorum corporum funt vtraque alba & rubea. Quorum liquores cum iterum coniunguntur, varios rurfum præbent colores, & dicitur ea coniunctio cibatio vel contritio, quæ in igne ficco efficitur; fed con-

coniunctio posterior (nempe cum Luminum oleis) fermentatio potius dicitur. Quæ quidem apud Philosophos dupliciter habetur.

Prior fit in putrefactione ante siccitatem prouenientem, vbi dicitur: Terra est fermentum aquæ, & aqua est fermentum terræ. Posterior propriè fermentatio dicitur, sine qua lapis philosophicus non efficitur, & sine qua persoluta nunquam fit Elixer. Fermētationis consideratio.

Ideo nota; quod sulphura naturæ composita, quando sunt rubea Ixira appellantur, & post coniunctionem cum Luminum sulphuribus in olea redactis tunc sunt Elixira. Elixirū considerationes.

Nuper de calcinatione & solutione locuti sumus, quæ operis & incepti, & finiti sunt duo principia, quæ maximè sunt consideranda. De eis igitur hic agendum est, & primo de priore.

Calcinatio in hoc opere est quadruplex. Primò enim con-
1. sideratur in præparatione operis de corporum ignita reductione in calces. Secundò per aquas corrosiuas. Tertiò pro desiccatione vel calcinatione materiæ in putrefactione calcinatæ in sulphur. Quartò accipitur pro siccis lapidis partibus post putrefactionem, 2.
quando in puluerem coagulantur. 3.
4. Calcinationis quadruplicis considerationes.

Solutio quintuplex dicitur, nempe solutio basis; solutio elementorum; solutio philosophica; solutio fermenti; solutio Lapidis & Elixiris. Solutionis quintuplicis considerationes.

Solutio basis est reductio corporis imperfecti in liquorem vel 1.
chaos.

Solutio elementorum est separatio à chaode per distillatio- 2.
nem in elementa, nempe im Mercurium, sulphur & sal; siue in spiritum, animam & corpus; vel in aquam, ignem (seu oleum) & terram.

Solutio philosophica est maris & fœminæ inuicem solutio in 3.
putrefactione.

Solutio fermenti est reductio sulphurum Luminum in olea 4.
siue alba, siue rubea.

Postrema est solutio Lapidis & Elixiris cuiusque ad virtutis au- 5.
gmentum.

Duo totius operis genera.

Denique duo solummodò sunt totius operis genera, nempe Solutio & Calcinatio. Cætera enim sunt generum species. Quorum prius est opus cęli, nempe Solutio & Humectatio: Posterius est opus Terræ, calcinatio scil. vel Desiccatio.

Elixira duplicia.

Ipsa etiam Elixira, siue sint alba, siue rubea, duplicia sunt. Vnũ, quod peregrinorum dicitur Elixir : alterum Elixir reductum in oleum, siue exaltatum.

Tu itaq; Lector, frater, siue fili, quisquis es, qui siue legas Philosophorum scripta, aut eorum dogmata discere cupias, & in eis legendis quicquid inuenies scriptum siue enarratum de Mercurio, de igne, de anima, de tinctura rubea, de aqua sanguinis, de colla auri, de gumma rubea, de oliua, de gallo, de tauro, de aqua crocea, de ære combusto & composito, de oleo seu igne, de aqua, de spiritu, de alba tinctura, de Rebis, de aqua fœtida, de mortui immunditie, de Lapide animali, de Lapide benedicto, de Lapide vegetabili, de Lapide minerali, de Magnesia, de calce, de claue, de ære, de plumbo, de matre, de virgine sancta, de corona regis, de Talek, de tramite, de spiritu fulgoris, de mare, de balneo, de alumine, de gumma Scotiæ, de aqua sulphuris, de sputo lunæ, de gumma alba, de vitro, de terra, de cinere, de corpore, de sale, de aëre, de coniunctione, de copulatione, de coniugio, siue matrimonio, de putrefactione, de coitu, de conceptione, de imprægnatione, de ortu, de viuificatione, de ablutione, de sublimatione, de subtiliatione, de calcinatione, de sulphure vulgi, de philosophico siue albo, siue rubeo, de corporibus imperfectis, siue perfectis, de Luminibus, de calcinatione siue per ignem, siue per aquam, siue per putrefactionem, siue per desiccationem, de dissolutione vel basis, vel elementorum, vel philosophorum, vel fermentorum, vel Lapidis, aut Elixiris, aut quacunq; ratione fiunt, secundùm has considerationes semper intelliguntur.

Et sic intelligere debes omnes obscuras & ænigmaticas, omnesque planas & apertas Philosophorum sententias. Nam mos erat priscorum in multitudine verborum, nominum, & ænigmatum artem hanc obscurare. Sed quia nostrum velle est, ea aperire, quæ ab

eis

eis abſcondita remanſerunt, vt nemini eſſemus erroris cauſa, ideò hunc paruum Tractatulum conſcripſimus, vt neque ex priſcorum ſcriptis, neque ex noſtris accumulentur obſcuritates, errorum origines. Hiſce itaque chariſſime Lector, ſatis inſtructus, tutè poteris totos philoſophorum libros cum intellectu perſcrutari.

F I N I S.





Errata in prioribus septem libris omissa, & imprimenda, & postea eis addenda.

1.

Lib. de Mercurio Rediuiuo. Pag. 3. linea 5. Deanus. p. 4. lin. 5. indagationi. l. ead. narraui. l. 16. soles. p. 8. l. 28. ascendet. p. 9. l. 16. caudantur peroptimè lutato, & seruentur postea. l. 19. metalla imperfecta. p. 12. l. 8. nempe sulph. p. 13. l. 6. illud. p. 15. l. 1. Accurtatione. p. 19. l. 8. aurifabris. l. 15. seruandum.

2.

Libro de Catholico Physicor. pag. 6. linea 16. dele, quoddam oleum aurei coloris. bis enim imprimantur illa verba. p. 7. l. 25. sanguis. p. 9. l. 9. adderetur. p. 10. l. 10. accurtationem. p. 11. l. penult. dele Catholicon Physicorum, & pone, Antimonium. l. vlt. Mercurius. p. 12. in margin. Hylatio. p. 16. l. 15. sunt, & in Musæo meo Eboracensi prece vel præmio Artistæ priuatim communicanda, aut saltem eiusdem Lactis copia suppeditanda, nec non Tincturæ ☿ . ij rubea.

3.

Lib. de Venere vitriol. pag. 3. l. 4. &c. Caroli Regis, &c. à secretioribus consiliis, nec non Consilii Regii, &c. Præsidi digniss. &c. l. 14. prædicabit summam. p. 9. l. 12. phiala. p. 13. l. 22. sal. l. vlt. dele, venus vitriolata, & etiam pag. 11.

4.

Lib. de Elixere, seu Medicina vitæ. p. 1. l. 15. reddendi. p. 5. l. 6. Hi enim. p. 6. ad lineam 12. in margine, imprimatur, Elixir vitæ rubeum. l. 19. dele cùm. p. 8. l. 4. nostrum. p. 9. l. vlt. Paracelsus lib. de Tinctura. p. 10. lib. 9. primæua. l. 15. seuo. l. 20. hac. p. 11. l. 1. quantitatem. p. 13. l. 22. subuillosi per.

5.

Lib. de Saturno Saturato. p. 1. l. 15. methodo. l. 17. Accurtatione. l. 22. ex quinq; metall. p. 3 l. 22. minùs. p. 6. l. 16. & linea 22. trinis. l. 20. talia. p. 10. & p. 11. in marg. Chaos. p. 17. l. 4. amletum, lege loricatum. p. 18. l. 8. steterit. l. 10. acetum. l. 24. Remanet. pag. 19. l 5. accurtatur. l. 20. inducendam. l. 22. tum. p. 20. l. 29. appropriauimus.

6

Lib. de Metamorph. Lapid. p. 10. l. 16. Archidoxeos. p. 11. l. 18. liquescat. p. 12. l. 1. Arbatel.

7.

De Alchymiæ complem. p. 1 l. 5. Augmentandi. p. 4. l. 5. & gradum. l 32. super mille, tunc proiicitur super 10. millia. p. 5. l. 16. plures partes tingit. p. 8. l. 26. conuertant. p. 9. l. 11. depurentur. l. vlt. accipit. p. 11. l. 17. dare. p. 12. l. 18. to. p. 13 l. 1. therefore. l. 15. Solisq;. l. 22. creetur. l. 27. Martiali, cholericæ complexionis, vt Author intimat. p. 14. l. 7. VViselie. l. vlt. philosophico. p. 16. l. 2. Secretum. l. 3. edoctum. l. 4. excepto.

In

In Emblemate ſecundo, PARIVNT.



In ſingulis libris ſiuè Elixer, ſiuè Elixir legas, parùm refert. Cætera vel forſan omiſſa, vel leuiora errata, Lector benignus vel emendabit, vel humaniter excuſabit, nec in libris Alchymicis tàm ſermonis & elocutionis ornatum, quàm Subiecti veritatem & vtilitatem expectabit.